

*De illustrando aere, mundifi-
candis plateis, remouendis
vaccis, porcis, anseri-
bus &c.*

C A P. V I I I.



VAE ad esculenta poculen-
tâque pertinent, capite pro-
ximo tradita sunt: in quo
cùm diuersa loca venditio-
nibus eorundem inter cete-
ra præscribenda dixerimus,
vt contagij dispersio impe-
diatur, & nihilominùs putredo, ex qua illud
frequenter sumit, non solùm originem sed e-
tiam augmentum, difficulter ab illis locis
queat prohiberi, rectè sequitur, vt de illustran-
do aere, de mundandis plateis, & quæ has
quàm maximè coinquinant, remouendis vac-
cis, porcis & anseribus, paucis agamus. Video
enim omnes eruditos, quin & vulgus quoq; hoc
affirmare, causas videlicet tollendas esse, vt ef-
fecta, quæ ex causis existunt, tollamus: item, mû-
dum aerem plurimum ad robur spirituum &
valetudinem facere: adeo vt prouerbio locum
dederit, qualis aer, talis animus: item notum est,
nihil æquè dissoluendarum virium esse, quàm
fœtorem.

foetorem. Quia verò plateæ mundæ seruari nequeunt, nec proinde foetor, putredo & aeris impuritas impediri, quamdiu feruntur illa animalia, quæ eiusmodi spurcitiei plurimum generât, hæc prius exigantur oportet in locum aliquem suburbanum, qui ad eam rem opportunus videatur, nêpe qui sit prope flumen, si modò possibile est, vt fordida illæ saburræ in illud expurgari possint, vel vnde quàm minimum tetræ exhalationes urbem infestent. Fimus enim & excrementa eorum, quæ dixi, animalium, incredibiliter afficiunt debilitantque spiritus & membra principalia, cerebrum, cor &c. Huic vicinû & nimis abominabile vitium est (quod miror in honestis urbibus tolerari, & referre pudet) plateas & vicos, adde & beatè mortuorum cœmeterium, passim impudentium mendicorum oletis, adeo alicubi contaminari, vt quocunque te vertas, non viam in ciuitate publicam & honestam, sed pudendam cloacam (sit honos auribus) videre te putes. Idem ferè dicas de aquis lixiuorum, quibus vasa & linamenta abluuntur, quâsque passim ancillæ temerè profundere solent, & obiicere vicinorum foribus, cum domi suæ non ferant. Quamobrem operam dabunt conseruatores, vt postquam urbem ab istis bestiis liberarint, inquinamenta subinde omnia exportari simul iubeant, legèque lata sanciant, ne quis posthac eiusmodi turpitudinem foueat, admittatve. Quod vt facilius obseruetur, in-

staurandæ in loco ad eam rem commodo haræ ac stabula, ea ratione qua dictum est: item latrinæ publicæ & barathra subterranea, in quæ deferatur, quicquid est eiusmodi fœdæ saburræ: quæ si cœperint impleri, calce cooperientur, ut consumatur: alia enim consuetudo, quæ fit euectione, eo tempore non est tuta.

Hinc autem & fossæ, si quæ sunt intra vel extra urbem (solent enim plerunque mœnia urbium fossis cingi, quæ non rarò pro foricis plebi seruiunt, dum in eas omnes sordes velut in camarinam aliquam exportantur) item paludes stagnantesque aquæ, si vllius inde malæ exhalationis suspicio est (ut quâdo linum canabisque, vel pelles coriariorum in iis macerantur, vel quando in eas latrinæ per cuniculos suam exonerant sentinam) aut terra implendæ, aut canalibus educendæ ac deriuandæ, aut denique torrente, si fieri potest, in eas deducto, aliquoties perpurgandæ sunt. Nam tales sæpenumerò (ut testis est Paulus Aegineta) venenosi pestilentisque aeris causæ sunt efficaces. Idem medici omnes, & Theologi plerique præcipui de cœmeteriis censent, de quibus libro secundo paulò plus dicitur. De Africa refertur, graui pestilètia aliquâdo infestatam esse propter putridum vaporem è locustis maritimis ad littus reiectis, ibique mortuis exhalantem. Idem post magnos terræ motus aliquando accidisse testatur Alex. Ben. Dirus enim (inquit) in profundo vapor, pigritia, lōgo situ,

Lib. 1. cap.
49.

Alexand.
Ben. lib. 1.
de pest. ca.
2.

fitu, & æterna nocte torpescens, purū liquidūm-
que aerem inficere, nouāsque & malignas fe-
bres afferre potest: quales Venetiis olim fuisse,
certæ sunt historiæ, quib⁹ grauidæ penè omnes
abortiebantur, & mox eodem anno peste in-
teriêre. Nam quod id aliqui ad draconem, qui in
illis cauernis latuisset, referebant, fabulosum
fuit. Plura huc exempla adducere non opus est,
etsi abundè fieri posset. Experientia enim & ra-
tio, quę sunt duo præcipua instrumenta facien-
dæ fidei, huic sententiæ astipulantur. Quamob-
rem summoperè cauendum est conseruatori-
bus, ne cū reliqua industriæ genera adhibue-
rint, hósque præsentaneos putredinis fomites
relinquant, frustra oleum & operam impen-
derint.

Verumenimuerò obiiciat mihi forsan hîc a-
liquis vulgare illud dicterium: venenum vene-
no, vt clauum clauo pelli: Item gentium quarū-
dam consuetudinem, quæ huiuscemodi tem-
poribus loca pestifera malis tetrísque odoribus
non prohibere, aut expiare, sed implere & suffi-
re solent. Cuius refert Alexand. Benedictus suæ
ætatis memorabile exemplū de Sarmatia, quod
etiam ratione physica confirmari posse putat.
Quidam nobilis mercator (ait) Cretensis, cū
in Taurica regione negotiaretur, & sæuissima
pestis aeris vitio orta esset, qua finis moriendi
non erat, in ea summa hominum strage à se me-
dicum visum, loci eius incolam (nam Sarmatæ

*Aeris illu-
stratio.*

*Li. de pest.
cap. 6.*

ea loca tenent) qui canes interemtos passim per
 vias, perque vicos omnes abiici iussit, qui distē-
 ti ac putridi tetro odore cælum impleuerunt,
 eoque remedio statim ciuitatem sanitati resti-
 tutam esse, & Sarmatas id remedij factitare soli-
 tos. Putrescentes enim canes aeris naturam im-
 mutarunt, qui hominibus duntaxat exitialis e-
 rat. Ita enim dissimilitudo & rerum discordia fa-
 cit, venenúmque veneno debellatur: Quod etiã
 Zoar quidam inter posteriores Arabiæ physicos
 affirmat. Hæc narrat Alexand. Quæ ne quis igna-
 uus suæ negligentia prætexat, dum eiusmodi,
 quem viri prudentes consulunt, expurgandi ra-
 tionem & laborem cupit subterfugere: aut ne
 quis temerè imitetur, quod quomodo fiat, non
 intelligit, causa inuestiganda est tam inauditi &
 insoliti remedij. Consentio igitur verum esse,
 venenum veneno interdum exterminari, sed
 id cum fiet, necesse est, vt quædam inter ipsa, que
 se mutuò expellēt, manifesta aut occulta *ἀντι-*
παρὰ sit. Alioqui enim non modò alterum ab
 altero non fugiet, sed accedet potiùs, coniunge-
 turque firmiùs ac interiùs consociabitur. Con-
 cors enim (vt Hipp. ait) concordia adhæret, ac af-
 fidet. Discordia autem rebellant, pugnant, atque
 inter se dissident. Item vulgò dicitur, similia si-
 milibus non solùm conseruari, sed etiam auge-
 ri, & corroborari: vt ignis oleo, naphta, sulphu-
 re, succino, lignis: calor calore, febris humorum
 putredine, hydrops aquæ potatione, bilis ca-
 porum

Zoar.

Autor lib. *πράξα*
 de morbo
 sacro infi-
 ne.
 Li. de diat.

porum esu, & (autore Marsil. Ficino) virus pesti- *Plin. 2. ca.*
ferum lana augeri solent. Antipatheia autem il- *105.*
la, quam dixi, quum sit ab innata qualitate, quæ
diuersa est in diuersis rerum generibus, causasq; *Erast. de*
sæpe multiplices habeat, etiam pro naturali loci, *occul. med.*
constitutione cæli, subiecti temperamento & ha- *facult.*
bitu, denique pro virulentia & agentis causæ *Galen. de*
proportione, mirificè variat, magisque euentu, *simp. fac.*
quàm stabili aliqua ratione potest intelligi. Quid *ca. de lap.*
igitur ad propositam quæstionem dicemus? Ma-
nifestane qualitate hæc curatio perficitur? Ca-
num enim natura sicca est, & putredo, cum qua
plerunque pestis est, in humido dicitur esse cor-
ruptio. An potiùs canum putrescentium fæto-
rem naturæ pestis quadam proprietate occulta
repugnare? Equidem dicere non ausim, quan-
do id nullius, quod sciam, autoritate, sed tâtùm
illius fortè regionis consuetudine, illiusque soli
conuenienti experientia comprobetur: nempe
quòd ibi singularis quædam pestis, singularis na-
tura canum, singularis aer, singularis hominum
temperatura, & reliqua quæ huc requiruntur,
omnia singulari quadam proprietate conue-
niant, quæ in aliis mundi plagis, aliisque anima-
lium hominumq; naturis vsquequaque simili-
ter se non habent. Quod illis dubium esse non *Clemētis*
potest, qui mediocri rerum experiētia sunt præ- *Clementi-*
diti. Pestilentia enim virus non est, vniforme o- *nus de nat.*
mnibus temporibus ac locis. Homines etiam & *pest.*
ceterorum animalium genera inter se magno-
perè

*Lib. 3. de
Var. rerū
cap. 4.
Scribon.
Larg. in
præfat. de
compos.
med.*

*De auscul.
phys.*

*Ignis vir-
tus.*

perè differunt. Est cùm peste moriantur potissi-
mùm pisces, interdum quadrupedes, nonnun-
quam aues, aliquando homines: imò inter ho-
mines aliquando fœminæ magis quàm viri, iu-
niores magis quàm seniores. Hieronymus Car-
danus multarum rerum peritissimus vir, com-
memorat pestem quandam Basiliensem, qua so-
li Heluetij, non item Hispani, aut Itali, aut Galli,
qui in eadem tamen vrbe essent, affligerentur.
Quod certè admiratione dignum esset, nisi sci-
remus, rerum infinitam esse varietatem, maio-
rèmq; partem (vt fatetur summus philoso-
phorum Aristoteles) semper nobis manere in-
cognitam. Vt ergo hunc scrupulum concluda-
mus, sequendam potiùs nobis clarissimorum
virorum, tam veterum, quàm recentiorū, qui-
cunque hanc causam tractarunt, autoritatem
censeo, quàm vnius loci peregrini, in quo fortè
etiam non eodem cursu respondent vltima pri-
mis, hominum barbarorum quacunque expe-
riencia receptam consuetudinem.

Quamobrem cùm nos sciamus, bonam par-
tem eiusmodi exitialis mali ab aere corrupto,
putrido & venenato pendere, ignisque putredi-
ni maximè omnium resistat, igne vtamur po-
tiùs, imitati Hippocratem, quàm istis immani-
bus fœtoribus, qui etiam sanos non parum læ-
dere possunt: igne luceât vici nostri, igne flagret
noster aer, cuius quanta sit substantiæ bonitas &
subtilitas, vide Albucasim Arabem chirurgum,
parte

parte; suæ chirurgiæ, cap. 1. Ignis enim purissimus est, & purificat omnia. Vnde & antiquitus tanquam potens aliquod numen Chaldæis cultum esse testatur in historia sua Ecclesiastica Eusebius. Aqua quidem superficiem emundat, sed interiora non potest abluere, quia ad ea nequit penetrare. Ignis verò cum sua vi permeet omnia, nihil relinquit intactum, cumque natura purissimus sit, ut dictum est, celerrimè quoque omnia expiat. Quare cum ad extremum iudicium Christus plenissimè purgaturus est mundum vniuersum, non aqua, ut tempore Noæ, sed igne instructum Scriptura prædicat venturum, tantumque opus perfecturum. Videmus enim igne omnes nubilositates validè discuti, consumi omnes superfluas humiditates, illustrari aerem, accendi lætitia cor humanum, dissipatis videlicet turbidis crassisque in corpore vaporibus, additòque robore grauatis mèbris: ut non frustra vulgò dicatur, ut ignis domus singulare ornamentum est, ita quoque hominibus esse optabile emolumentum: adeoque ut non frustra poeta interroget, Igne quid utilius? Et ego, si roger, quid sit præcipuum in præseruando oppido à contagione pestis, quemadmodum ille quærenti, quid potissimum esset in oratore: primò, secundò, tertio respondit actionem: ita iure quodam respondere possem, primum, secundum & tertium prælidium esse ignem, quod optimi quique sic experientia & ratione edocti statuerunt. Ignis

Dioscor. 6.

cap. 36.

Plin. nat.

hist. 36. ca.

8lt.

Lib. 11. cap.

26.

Auicenna

de medic.

cord. tract.

2. cap. 10.

*ide diff.
feb.
Metheor.
4. cap. de
putred.*

enim aeri tanquam theriaca est, quæ illius putredinem exiccat. Porrò exsiccatio summū est, in quo Galenus intentionem curationis huius morbi positam esse ait: cū humiditas, in qua corruptio accidit & putredo, nimia est. Aristoteles quoque ait, omnia elementa putrescere, excepto igne. Quare quando aer putredinem contraxit (intelligo autem eam putredinē, quæ mixtione vaporum è terra vel aqua elatorum fit) qui aer, ut stomachus in homine omne genus cibi & potus, sic cunctarum rerum exhalationes excipit, nihil conducibilius esse potest, quàm ignis, qui non tantū assumit ut aer, sed absūmit potius omnes corruptos & putredinosos vapores. Nam sicut ignis ille, seu calor, aut potius vis calorifica, qualis est in zedoaria, melissa, cinnamomo, angelica, multisque aliis similibus, naturalem hominis spiritum illustrat, prohibetque contagium priuatum: ita ignis noster artificialis, quo de hīc agimus, vsum suum in externo aere exerit, & arcet, depellitque cōtagium commune, summa cum admiratione & vtilitate.

Quamobrem, relicto illo naturali artificibus medicis, qui in curatione singulorum versantur, nostri conseruatores id curabunt, ut tempestiuè conuectis in hunc vsum lignis siccis, velut iuniperi, quercus, vinearum, fagorum, compressi, pini, piceæ, vel etiā salicum, ingentes quotidie ignes vndiquaque in vrbe, præsertim autē ubi maius periculum est, vel imminet, accendi iubeant:

iubeant: idēq; ferè simili modo, quamuis dissimili fide, quo veteres olim gentes, suffitus, cereas faces, rogos ad oppida vicinósque agros, tum ab impuritate aeris (vt equidem coniicio) tum à dæmonibus (qui tamen quòd igni assueti sint, minùs eo territos ac læsos esse verisimile est) illustrandum expiandúmque solenniter, statutis temporibus instruere consueuerunt. Imitétur, quæso, per sacram Vestam, diuinum illum Hip. qui hac prudentia Græciam (vt testis est Thucydides) ab Aethiopiæ pestilentia olim præseruauit, eamque ob rem corona aurea donatus est. Item Thaletem Miletix philosophum, qui solùm instructis ignibus Acrontem patriam suam ab hac calamitate liberauit. Imitentur, inquam, potius horum exemplum, qui sempiternam laudem prudentiæ suæ in toto terrarum orbe consecuti sunt, quàm illorum barbarorum barbaram & ineptam consuetudinem.

Aetius A-
midē. 2. ser.

1. cap. 94.

tetrab.

Paul. Aeg.

2. cap. 35.

